

1595

minime responsum; adeo manifesta jura Ecclesiæ esse, ut rescindi nulla ratione queant: non hæc tempora esse, ut in christiana republica, intestinis lacerata discordiis, bello a communi hoste petita, controversie exsuscitentur: nunquam hujusmodi injuriam se passurum: Senatui scribat, legem abroget, eam unam viam ad rem componendam fore. Legatus ingenii dexteritate atque leni quadam dicendi vi, qua plurimum poterat, perturbatum Clementis animum sedare ntititur: Reipublicæ jura nunquam in dubium vocata, nusquam perturbata ab illius præcessoribus fuisse; non tantum irarum meritam Rempublicam, quæ illum uti parentem eximia pietate atque observantia coleret; si cui dolendum, Venetis profecto dolendum, procuratorem Cenetam missum, causarum judicem Nuntium declaratum, alia pleraque Reipublicæ rationibus adversa perpetrata. Quid faceret Senatus, nisi Iesus injuriam propulsaret, atque aliqua ratione, ne possessione depelleretur, curaret? Aliis hinc atque inde dictis, in sententia Clemens persistit.

Eodem tempore nuntiatur, binas literas, quas monitorias vocant, Cenetam delatas; alteras ad commune consilium atque oratores minarum plenas, quibus tridui spatio Senatus consultum delere jubebantur; id ni faciant, anathema latæ, ut ajunt, sententiæ privati subeant, læsæ majestatis rei habeantur, bona publicentur, civitati sacriss interdicatur: alteris oratores viginti dierum spatio Romam, uti perduelles, Ecclesiæ turbatores, eorum, quæ egerint, rationem reddituri, in jus vocantur; nisi adsint, excommunicationis vinculo innectantur, cunctis ecclesiasticis ditionibus exilio ejiciantur, bonis publicatis, ædes complanentur, cunctisque vel temporariis vel æternis poenis subjiciantur. Vix dici potest, quam Patrum animi, his cognitis, exarserint: durum atque acerbum Pontificis consilium damnare; inusitatum tractandi genus criminari: omnia tamen prius experiunda, quam in apertas contentiones erumpendum e re communi esse ea tempestate existimabant. Itaque Parutæ præcipiunt, ut ratione, prece, querelis Clementem ad salubriora consilia perducere nitatur; ut amice negotium agitari possit, literas revocari curet. Interea quinto idus julii adversus eorum leges